



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Beatæ Virginis Lutzelburgense Monasterium ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

*Apta domus Musis, & Apollinis artibus æquis
Christi adunq; piis apta ministeriis.
Hanc modo Alexander Rubri cognomine Galli,
Præditus eximia vir bonitate regit.
Ille norvenarum fautor tutorq; sororum,
Quem sinat in multos vivere Parca dies.*

*Beate
Virginis
Monaste-
rium.*

BEATÆ VIRGINIS Lutzelburgense Monasterium ordi-
nis D. Benedicti, extra muros civitatis situm, fundatum est
annum Domini circiter 1080. sub Imperatore Henrico Quarto,
à Conrado, Comite quodam Lutzelburgensi, ejus gentis, quæ
postea ad ducalem dignitatem sub Carolo quarto Imperatore
evehctæ est. Occasio constructi cœnobii erat, quod Conradus, ob
rationem nescio quam, à Romano Pontifice excommunicatus,
cum absolutionem peteret, hanc quasi viam quandam redeun-
di cum Pontifice in gratiam ingredi cogebatur, ut & pedes Hie-
rosolymam religionis ergo adiret, & inde rediens de suis facultatibus
cœnobium construeret. Catalogus ejus loci Abbatum non
extat integer. Cum enim anno Domini 1543. bellum gereret
Imperator Divus Carolus V. contra Gallum, qui tum Lutzel-
burgensem ducatum invadere, & urbem expugnare absente Cæsare
ausus fuerat: in eo inquam bello monasterium à Gallis dire-
ptum, exustum, & vastatum, & Joannes, Bohemiæ rex, Comes
etiam Lutzelburgensis (qui in ejusdem cœnobii templo honori-
fice fuerat depositus) ab iis Gallis tumultu exemptus, in Mino-
rum cœnobium (quod in superiore ac monti insita civitate splen-
didum est) deportatus: Bibliotheca vero tota misere distracta
est, ita ut nihil amplius librorum aut monumentorum ibi reli-
quum manserit, præter plumbeam tabulam in sepulchro fun-
datoris repertam, cujus inscriptionem, mihi ab ejus loci nuper
adeo defuncto Abbate communicatam, huic loco, quod cœno-
bii originem contineat, inferere volui. Ea talis est:

*Peregrina-
tio Hie-
rosolymi-
tana.*

*Biblio-
theca Lü-
tzelbur-
gensis mo-
nasterii
distracta.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Quiescit hic Co-
mes Conradus. Hic cum inter seculi principes fama probitatis
esset celeberrimus, sepulcrum vitæ principis adiit amore divino
succen-

fuccensus, indeq; rediens, divina se vocante clementia, obiit peregrinus, sepultus in terra decenter, non sua: indeq; anno dormitionis suae secundo sublatu, anno quarto, ipso die annuae migrationis suae de seculo hic fuit repositus, praesente conjuge sua Clementia, per manus filiorum suorum Adelberonis, primicerii Metensis, Henrici Comitis, Conradiq; Comitis, praesente Rodolpho Abbate filio Comitis, quem ipse provisorem & ordinatorem hujus loci statuerat. Facta sunt haec regnante permisso Dei Henrico, tyranno damnato, ac piae memoriae Gregorio pontifice Romano. Obiit autem sexto Idus Augusti anno Dominicae incarnationis 1086.

Ex hac inscriptione constat, Rodolphum, filium Conradi Comitis & fundatoris, primum fuisse hujus loci Abbatem. Cujus successorum nomina & res in proximo bello Gallico intercederunt. Postremi tamen Abbates, a nuper adeo mortuo ejus loci gubernatore hi mihi (cum Lutzburgi essem, & Clarissimi viri D. Doctoris Keckii, Vicepraesidis Imperatorii ac Domini in Thorn, epistola duce eum convenissem) nominati sunt, qui sequuntur.

1. *D. Suiggerus Burscheid*, vir nobilis & eximia autoritate praeditus, qui & diutissime & utilissime praefuit, construxit ambitum monasterii.

2. *D. Bernhartus Orley* nobilis.

3. *D. Nicolaus de Ara Luna*, non procul distante oppido, primus genere ignobilis, ante quem qui praefuerunt, omnes nobiles & majorum imaginibus conspicui fuisse perhibentur.

4. *D. Joannes Heyco*, ex Trajecto inferiore natus, Protonotarius Apostolicus, fit Abbas anno Domini 1503. Praefuit duobus annis. Obiit anno 1505.

5. *D. Joannes Helmundus*, Brabantinus, & Trevirorum Archiepiscopi suffraganeus, praefuit annis undecim. Obiit anno 1517.

6. *D. Nicolaus Widburgius*, Lutzburgensis, praefuit annis quinque & mensibus tribus. Obiit anno 1522.

H

7. *D. Jo-*

Burscheid

Chronologia

Monasterio

sua Germania

S. IX

Pocula
deaurata
à Carolo
V. Lutz-
burgenſi
monaſte-
rio dona-
ta.

Conven-
tus Lii-
tzelbur-
genſis.

7. *D. Joannes Hardeus*, Lutzburgius, præfuit annis 26. Vidit vaſtationem & ruinas ſui cœnobii anno 1543. in bello Gallico. Sub ejus gubernatione cum Lutzburgum iterum magnanimitè recuperaffet Divus Carolus V. Imperator invictiffimus, dotavit idem Imperator tria Lutzburgenſia monaſteria in feſto trium Regum de more ſuo tribus argenteis & pulchre deauratis poculis, ex quibus ipſe etiam aliquoties bibi. Obiit Abbas anno Domini 1549. quo publicus Conventus omnium ſtatuum totius ducatus Lutzburgenſis habitus eſt, de quo talia ego luſi epigrammata, quibus annus per litteras numerum ſignificantes inſertus eſt.

*Carole DIVE, gVbernator tVV's InCLITV's ILLe
LVtzeLbVrgenſes ConVocat eCCe ſtatV's.*

Aliter.

In LVtzeLbVrgo Coli orDo totV's eqVestri's:

ConVocat bVnC QVIntV's CaroleV's eCCe Leo.

8. *D. Nicolaus Bidburgius*, Lutzburgius, ſuperioris Abbatìs Nicolai è ſorene nepos, eligitur anno Domini 1549. vir latinè non vulgariter doctus, & facundus, ſed natura iracundus & contractus: parvus ſtatura corporis, ſed ingenio profecto non itidem. Is cœnobium à Gallis vaſtatum in inferiorem civitatem Lutzburgenſem transferens, mediocriter ibi ad Alſum fluviolum reædificat, ubi antea xenodochium erat. Dicitur nunc etiam rebus humanis exentus eſſe. In ejus gratiam luſi de ejusdem cœnobii fatiſ tale ſchediaſma.

Hanc DIS ſacratam quis primus ſtruxerit ædem,

Si quis ſcire cupit, carmina pauca legat.

Conradus Comes illuſtris Lutzburgius omni

Virtute, & meritis, & pietate potens,

Pro ſe, proq. ſuis majoribus omnibus iſtum

Condidit illuſtrem conſpicuumq. locum.

Cui mox Abbatem præfecerat ipſe Rodolphum

Illuſtrem gnatum magnificumq. ſuum.

Conſenſit conjunx, Clementia, fortis amatrix

Quæ ſuper ſim & veræ religionis erat.

H

Con-

Consensere trium natorum pectora leta,
 Urbis Adalbero nempe Metensis honos.
 Conradus Comes, Henricusq; : omniq; parentem
 Parte instaurantem talia templa juvant.
 Tandem ardore Dei Solymas peregrinus ad urbes
 Iverat, ut sacrum cerneret ipse locum.
 In quo pro mundi peccatis mortuus ille est,
 Qui nobis pura è Virgine natus erat.
 Indere versurus cum morbos eger acutos
 Incideret, mentem misit ad astra suam.
 Corpus ab uxore & natis pro more relatum
 Huic commendatum dicitur esse solo.
 Occubuit, cum post Christum millesimus iret
 Annus, & octodecim lustra peracta forent.
 Hæc cum sacra domus lacerata à milite Gallo
 In bellis esset, Carole Quinte, tuis,
 Instaurare illam translata pro vidus Abbas
 Nicoles patriæ cœpit amore sua,
 In Lutzelburgo natus Bidburgius, ipsa
 Qui regis sani huc transtulit ossa quoq;.
 Tu quicung; soles istac transire, Viator,
 Tempora fac nobis fausta preceris, abi.

Est & monialium nobili genere natarum celebre ac magnifi-
 cum Sancti Spiritus Cœnobium intra muros Lutzelbürgenses, *Sancti Spiritus*
 in sublimi & extremo penè montanæ civitatis angulo situm, Or- *cœnobium.*
 dinis olim pœnitentium fororum, fundatum & constructum an-
 num Christi circiter 1140. à Ducissa quadam Lutzelbürgensi. In
 quo postea ordo S. Clare cœpit anno Christi 1257. Huic cœno- *S. Clare*
 bio præfuerunt Abbatissæ. *Ordo.*

1. Domina *Elisabeta à Borscheid vel Orley*, soror Suiggeri, *Catalogus*
 Abbatis in D. Virginis submontana Abbatia Lutzelbürgensi. *Abbatissarum.*
2. Domina *Agnes de Rupe*, præfuit annis 33. laudabili-
 ter. Obiit anno 1521.
3. Domina *Elisabeta ab Orley*, præfuit annis quindecim.
 Obiit anno Domini 1536. in ambitu sepulta.

H 2

4. Domi-

Brusobij

Chronologi
 Monasterio
 sua Gemma

S. III

4. Domina *Anna ab Eugentorp*, dicta Meereligina Julia-
censis, facundissima domina, eligitur anno Domini 1536. in die
S. Martini. Præsidet adhuc currente hoc Jubilæo viginti qua-
tuor fororibus laudabiliter. Sub ejus gubernatione sepultus est
in ejusdem templi choro magnificus ac Clarissimus Dominus,
Doctor Nicolaus à Nave, Imperatorius Consiliarius, cum con-
juge Guta, filia Francisca & filio Joanne, legum eximio etiam
doctore Imperialiq; Consiliario.

Doctor
Nicolaus
à Nave.

BONA CELLA, Germanicè *Gutezell* / sive, ut ex vetustis
quibusdam diplomatibus collegi, Dei Cella, Germanicè
Gotteszell, monialium olim ducentarum, nunc duodecim saltem
præclarum cœnobium in Suevia, non procul ab Ochsenhusio,
quatuor miliaribus ab Ulma, Sueviæ metropoli, ordinis Cister-
tensis, sub cura & visitatione Abbatis Salemitani: fundatum
est in honorem sanctorum Cosmæ ac Damiani, primum à dua-
bus fororibus Comitissis à Schlosberg, venerabilibus ac religio-
sis Dominabus, quarum nomina interciderunt, fortassis in in-
cendiis, sicuti etiam ipse annus primæ foundationis. Donarunt
vero & locupletarunt hoc cœnobium postea nobilissimi Comites
arcis Aychaim, ad iterum annem sitæ, quorum utriusq; sexus
nomina hic subjungere in perpetuam rerum memoriam volui.
Sunt autem, *Bertholdus* Comes, qui obiit anno 1330. & hujus fi-
lius, *Udalricus*. Item *Eberhardus*, *Hugo*, *Gulielmus*, *Ruffus*, *Fri-
dericus*, *Conradus*, *Ruffus* secundus, *Marquardus*: Domina *Ku-
nigundis*, Domina *Juta*, Domina *Adelheidis*, Domina *Bertha*,
Domina *Betha*; omnes Comites, & Comitissæ de Aychaim in
eodem cœnobio sepulti. Item Domina *Anna*, Comitissæ de
Kirchberg, nata de Aychaim, quæ obiit anno Domini 1369.
Domina *Anna de Alto Rechbergo*, Ducissæ Deccensis, & Domina
Bertha de Griffingen, magna benefactrix Bonæ Cellæ, quæ obiit
anno 1444. Habent verò & alii nobiles plurimi sua in eo cœno-
bio sepulchra, nobiles videlicet à Giesenberg, Rechbergeri ab
Alto Rechbergo, & nobiles de Baustetten, fundatores Hecken-
bacenses, *Fridericus* item à Schwenda, qui obiit anno 1375. Ab-
batissæ

Schloß-
burg.

Comites
de Ay-
chaim.